

X. *Negato modo resurrectionis non neganda est ipsa forma interna, vel externa.* Sic quos vivos deprehendet dies Domini, illi in momento immutabuntur. *Thess. 4* quæ mutatio tum mortis, tum resurrectionis loco ipsis erit. Quare non est negandum, illos resurrecturos. Nam forma resurrectionis interna alia consistit in excitatione carnis è pulvere terræ, alia in excitatione carnis quæ velut in momento est mortua. Quod attinet ad formam resurrectionis externam, illa communis erit utrisque; quia rapientur in occursum Domini. De resurrectione primâ & secundâ *Apocal. 20.* aliud est iudicium.

C A P U T XXXIV.

De ultimo iudicio.

I. **P**osito iudicio particulari non tollitur universale. Nam illud est antecedens, quod vel in vitâ vel in morte hominis Deus exercet: hoc est consequens & finale; illud parziale & occultum, hoc totale & manifestum.

II. *A iudicio approbationis ad iudicium authoritatis non valet conclusio.* Sic quod *Matth. 19.* & *Luc. 22.* dicuntur unâ cum Christo iudicaturi omnes apostoli & fideles, non de authoritate & potestate iudicandi, sed de approbatione & testificatione est